

Band VIII., Nr. 3143, Seite 346

Prior Konrad und Konvent von Reichenbach geben ihrem Knecht Albert von Eutingen auf Lebenszeit ihren Hof daselbst zu bebauen.

Ohne Ortsangabe, 1282. Mai 7.

Nos Cunradus prior totusque conventus monasterii de Richinbach presentibus profitemur, nos curiam nostram in Utingin sitam Alberto de Utingin famulo nostri monasterii de unanimi [consensu] totius nostri conventus usque ad tempus vite sue, prout eam pater suus H. quondam habuit, excolendam et habendam concessisse et quod finum eiusdem curie non ducet alicubi, nisi ad agros ipsi curie pertinentes. De prato etiam nostro ipsi curie attinenti bubus pascendis deputato, quod modo redactum est in agrum, fructuum omnium in eo nascentium medietatem nobis dabit . . . plaustris feni sibi vice eiusdem prati recompensatis in villa nostra Musbach sibi dandis a nobis ac inde suis sumptibus et laboribus deducendis. Item de feodo, quod avus suus paternus pro tribus libris Tuwingensium et dimidia comparavit, cuius proprietas ad nos pertinet, in quo idem Albertus habet residentiam, quod ipsi similiter concessimus, quatuor solidos Tuwingensium, quos nobis de eo in festo sancti Martini annuatim solvere debet, pro rinthbuza retinebit, medietate colendorum in eo nobis post mortem ipsius plenarie persolvenda. Preterea de novalibus cultis de silva nostra versus Hochdorf posita octavam partem cultorum in eo quamdiu vixerit, nobis dabit annuatim, quarta parte eorum nobis post mortem suam cedente et etiam si deinceps posthac plus de ipsa silva extirpaverit et coluerit, nobis quartam similiter sicut alii novalium cultores dabit. Post mortem vero sepedicti Alberti tam curia predicta, Utingin videlicet, cum omnibus suis attinentiis, feodum nec non novalia prefata, omnia ad nostrum redibunt libere monasterium et de eis poterimus, prout placuerit, ordinare. De hoc dantes ipsi presentes litteras nomine nostro nostrique conventus sigilli, quia proprium non habet, munimine roboratas, receptis ab eo litteris super premissis sigillis nobilis viri Ottonis comitis palatini de Tuwingin advocati nostri et civium de Horwe sigillatis.

 Datum anno domini MCCLXXXII., nonas Maii.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Siegel abgegangen.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 516 U 74

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Eutingen im Gäu FDS
 Eutingen im Gäu Gemeinde (7398)
 Hochdorf Wohnplatz (7613)
 Hochdorf, Seewald, FDS
 Horb am Neckar Wohnplatz (7484)
 Horb am Neckar, FDS
 Klosterreichenbach Wohnplatz (7315)
 Klosterreichenbach, Baiersbronn, FDS
 Obermusbach Wohnplatz (7427)
 Obermusbach, Freudenstadt, FDS
 Tübingen Wohnplatz (16214)
 Tübingen, TÜ